



ILLUSTRISSIMUS ET AUGUSTISSIMUS
PRINCEPS AC DOMINUS, Dn:

GEORGIUS WILHELMUS
MARCHIO BRANDENBURGENSIS,
Borussiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Sedini
Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum, Croznæq; &
Carnoviæ in Silesia Dux: Burggravius Norinbergenis,
Princeps Rugiæ, Comes Marchiæ & Ravenspurgi
Dominus in Ravenstein, &c.

RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS,
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ AD

solemnia Doctoralia

Quibus vir Clariß. Consultiß. & Excellentiß.

D N. MATTHÆUS CUNO, J. U. D.
& Professor P. Consiliar. Electoral. ac pro tempore
amplissimæ Facultatis Juridicæ Decanus
spectatissimus,

Viris Doctissimis & præstantissimis

D N N:

BALTHASARI HYLLERO SILESIO,
Cæs. (Sacratissæ. mem.) Regiæq; Maj. tis causa-
rum Fiscalium in superiore Lusatia Patrono

Et

ADAMO BOLFRAS FRANCOFURTANO
Marchico, Comitum Mansfeldensium

Consiliario:

Summum in Utroqne Jure gradum confert a. d. xxi. April.

A. M. DC. XII.

Typis IOANNIS EICHORN.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



NÆ OB DIGNITATEM
utilitatemque admirabilem adeò splen-
det Justitia, ut apud Philosophum ex
Poëta Græco & ἔπειρος ὁ οὐρανός, eadem
ob singularem constantiam comparari solet cum
stella polari. Quemadmodum enim circa illam
cœlum quidem voluitur, ipsa verò non mutat su-
um locum: sic vita hominum mira volubilitate
vertitur, & judex quantumvis aequus, interdum
humanis superatus affectibus, ab aequitatis tra-
mite exorbitat: Justitia autem semper manet, ea-
dem, nec ad cuiusquam declinat gratiam, sed in
eo tota est, ut inter cives servetur aequalitas. Pro-
inde cum Justitiae imago certis legibus delineata
& expressa sit, quas non vana opinio peperit, sed
quædam divinitus animis hominum insita & in-
nata vis, non sine maximo labore & industria
produxit: meritò ad leges istas tanquam ad He-
licen semper respiciunt, qui in Reipub. navi ad
puppim sedent, ejusq; clavum tenent: ne forte à
cursu recto deflectant, & communem omnium
salutem unà secum in calamitatum syrtes & exi-
tij scopulos conjiciant. Sicuti n. nec dominus ulla,
nec schola, nec militia commode administratur,
nisi

nisi pater filios, dominus servos, præceptor discipulos, dux milites legibus convenientib. constringat, ac diebus singulis sua quasi judicia exerceat; ita multò minus gubernari civitas poterit, nisi jure civili tanquam vinculo civium multitudo coarctetur, ac Reipub: præsit domina illa & regina virtutum JUSTITIA, cuius, teste Oratore, tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio & scelerem pascuntur, possint sine ulla ejus particulâ vivere. Jam in evoluendis & recte cognoscendis libris istis, quibus jus civile descriptum & explanatum est, tantæ devorandæ sunt molestiæ, tanti sumptus impendendi, tot vigilanda noctes, tot superanda difficultates; ut vel ex solo isto studio τὰ καὶ δύσκολα esse appareat; nec facile quis eo progredi posset, ut ad respondendum de jure aptus, ad agendum promptus, ad cavendum peritus sit, nisi ad disciplinam istam attulerit ingenium acerbum ac laboris patientissimum, loculosq; vel ære paterno, vel aliorū liberalitate multū refertos.

Itaq; si apud Gracos olim χαείτων οὐεὶς à Gratiarum templis in foro erecta sunt, quibus monerentur ciues, ut & gratia digna agere, & agentibus gratias referre discerent: quis non laudet & con-

A 2 suetudinem

suetudinem nostri seculi, & summorum Imperatorum, Serenissimorumq; Principum augustam voluntatem, qua decretum est, ut illis, qui in hujusmodi studijs pr& alijs strenue essent versati, publica tribuantur honorum insignia, & summum referatur laboris premium gloria. Tales, ut ante hac multi alij, ita nunc duo viri doctissimi & pr&stantissimi in hac nostrâ Academia reperti sunt, **BALTHASAR HYLLERUS** Strigoviensis Silesius, & **ADAMUS BOLFRAS** Francofurtanus Marchicus: qui posteaquam ad pr&aclara Legum studia animum applicassent, cursu indefatigato eo contenderunt, ut in Juris studio, recto, quod ajunt, tali possent consistere. Neque enim natura tantummodo bonitatem & acumen ingenij ad tractanda huc studia attulerunt: sed à primis statim annis animum excoluerunt artibus humanioribus ac scientijs laudatissimis, partim in scholis, ut vocant, trivialibus, partim in Academijs. **BALTHASAR** enim **HYLLERUS** ortus à parentibus honestissimis, ubi non solum in schola patria primas literas ad didicisset, sed in Inclyto Vratislaviensi Gymnasio per integrum sexennium optimarum artium studijs

studijs incubuisset: de Consilio Domini VALEN-
TINI HYLLERI Consulis apud Strigovienses
dignissimi in Academiam Lipsiensem se contu-
lit, ubi non sine singulari virtutis & diligentiae
laude vixit biennium; usus privato prelectore
Nicolao Vesselo J.U. Doctore præstantissimo: pu-
blice verò sedulo audivit Legum Professores cele-
berrimos, ac disputationibus publicis diligenter
interfuit. Inde cum luis pestiferæ metu esset ex-
pulsus, VVitebergam commigravit, ibique, pro-
ut Nobis relatum est excellensissimos Jurecon-
sultos D. Johannem Zangerum. D. Ludovicum
Personam. D. Bartholomeum Reusnerum &
D. Lucam Becmannum Jura publice interpre-
tantes, biennium ferè, non absq; attentione singu-
lari & fructu audijt. Postea in Patriam voca-
tus, ac Nobilissimo & præstantissimo juveni Al-
berto à Seidlitz &c. vita ac studiorum modera-
tor adjunctus, Lipsiam redijt, & in LL. cogni-
tione magis ac magis progressus & confirmatus
est; talemq; se præbuit, ut Professorum aliorum-
que animos eruditionis laude ac morum gratia
sibi plurimum devinciret; quo nomine ab Aca-
demia ista testimonium maxime honorificum ob-

A 3 *tinuit.*

tinuit. Tandem verò, anno abhinc octavo Cesa-
reæ (sacratissima memoriae) Regiæq; Majestatis
causarum Fiscalium in superiore Lusatia patro-
nus constitutus, eaq; provinciæ in hunc usq; diem,
quantà par erat fide & integritate, defunctus est;
adeò ut à viris magni nominis præclarā laudem
fuerit adeptus. Sic ADAMUS BOLFRAS,
hac ipsa in urbe doctrina solidioris fundamenta
prima jecit, tanta ingenij dexteritate, tantaq; in-
dustria, ut celeriter ac feliciter in schola patria
peragrato primarum artium studio, mox animo
alacri ac vege to ad patentiores Musarū campos
Academicos transferit, animumq; scientiarum
Philosophicarū cognitione perpoliverit, & ad su-
periora præpararit. Hisq; ita salutariter præmis-
sis, incitatus proculdubio præclara eruditione &
fama Avunculi sui celeberrimi, nunc temporis
amplissimæ Facultatis juridica Decani, tum etiā
Agnatorum Bolfrasiorum insigni doctrina &
virtute, ad superandum ingens Legum pelagus
se accinxit: quam ad rem non solum mutos præ-
ceptores libros, lucubrations privatas adhibuit;
sed clarissimis quibusq; Jureconsultis publicè do-
centibus aurium ades magno cum desiderio &
voluptate

voluptate aperuit, partim in Academia hac no-
stra, nec non Marpurgensi & VVitenbergen-
si; partim etiam in Italorum Patavina & Se-
nensi: quas omnes ita frequentavit, ut semper
quo ad doctrinam eruditior, quo ad virtutem
cultior inde recederet: donec tandem ab illustri-
bus ac generosis Comitibus Mansfeldensibus in
consiliariorum numerum cooptatus est. Parenti
certe ipsius **ADAMO BOLFRASIO**, ante
aliquot annos Reipub: oppidanæ hoc loco Consuli,
ide evenisse cernimus, quod Syracides c. 46. de ju-
dicibus illis pronunciavit, quorum cor non fuit
corruptum, qui que non aversi fuerunt à Domi-
no: Memoria illorum erit in εὐλογίαις: & ossa eo-
rum locis suis revirescent: nomenq; ipsorum cum
gloria propagabitur ad posteros. Verè enim no-
men ipsius in filio hoc cognomine reflorescit apud
homines, quod jam pridem in cælis floruit apud
D E U M. Hi igitur duo Candidati ornatissi-
mi laborum, quos ante hac exantlarunt gravif-
simos, præmium, summum scilicet in utroque ju-
re gradum petierunt: & in examine tam priva-
to quam publico tales deprehensi sunt, ut amplis-
simum collegium Juridicum ultrò petitioni ipso-
rum

rum dederit locum, & honores in jure summos
ipsis decreverit. In Professorum & examinato-
rum judicio Illustriſ. Dn. Parens noster clemen-
tissimè acquievit: jamq; solennitati Doctorali di-
catus est proximus dies Martis: quo ut in tem-
plo Cathedrali pro more hactenus recepto conve-
niatis Academie & Cives florentissimi, & in ve-
nerandarum Legum, ac Juridicæ Facultatis, nec
non Dnn. Candidatorum gratiam, ~~in~~ hanc
præsentia vestra cohonestetis, clementer cupimus.

V.P.P. xix. April. A. 1612.

C. T.

Acclamatio Solennis *ZL 7999*
DESTINATA HONORIBVS CLARISSIMORVM
& Doctissimorum virorum

DN. BALTHASARIS
HYLLERI SILESHII CAUSARUM
Fiscalium in superiori Lusatia Patroni;

ET
Dn. ADAMI BOLFRASI
FRANCOFURTANI COMITUM
Mansfeldensium Consiliarij:

Cum illis à Clariß. & Consultissimo
VIRO DN.

MATTHÆO CUNONE J. U. D.
ILLUSTRISS. ELECTORIS BRANDENBURGICI
Consiliario & Facultatis juridicæ Decano
& Ordinario

Summus in utroque jure gradus
conferretur

Decantata de more per puerum in
ipso promotionis actu
AD D. XXI. APRILIS
ANNO M. DC. XII.

Typis
JOANNIS EICHORN.

Ἄριστος οὐδεὶς πάντας τούτων τοῦτον τούτουν

ODE SAPPHICA.

Si dico si qui superare agone
Hellade in docta valuere fortes
Helicas, multo fuerunt honore
Condecorati:

*Si gravi qui primus adire nisu
Ausus hostilis fuerat acumen
Turris, insignis meruit corona*
Præmia quondam:

*Si viget mos militia in sagata,
Ut suo qui consilio & labori
Non pepercerunt, niteant celebri*

Nomine clari:

*Jure fit, quod militia in togata
Justa dignis præmia constituta,
Et gradus ac nomina sunt honorum*

Cuiq^z tributa.

*Sic enim secernimus otiosos ab exercitu
Non modo à navis, sed & excitamus
Sponte currentes, reliquosq^z, si sint*

Forte remissi.

*Addo, quod sic muneribus profanis,
Et sacris fuci prohibentur, & se*

Desti-

*Destitutos egregij pote haud sint
Dicere tristes.*

*Cernitis quos CUNO sacra Themistos
Summus antistes juvenes virosq;
Sistit, insigni Sophia beatos
Muner& dia.*

*Hi licet norint sibi quod sit ipsa
Præmium virtus, neq; querat extra
Se amplius, gaudent tamen hac apisci In-
signia honoris.*

*Nam recordantur sibi quanta moles
Et laborum exhausta sit, atq; olivi
Quanta vis impensa, suoq; poscunt
Præmia jure.*

*Vixit HYLLERUS Themidi sacrata
Deditus sic, ut sibi nomen Erem,
Cæsar is fisci quia agit patronum,
Conciliarit.*

*Nunc Dices sancta quoq; Doctor inter
Cateros mystas sat agit vocari,
Esse sed multo magis, id quod esse
Justitia scit.*

*Tuq; BOLFRASI patre consulari
Atq; avo de consule nate, dignum*

Te

Tetuis praestare, & avunculum ipsum
Vis imitari.

Ergo jam primis sophien ab annis
Essecutus naviter, atq; porro
Progredi cura fuit ad Themistos
Templa sacrata.

Hæc lares olim ad patrios secutus,
Hæc frequentasti cupide strepentis
Ad Albis ripas, aliosq; ludos
Teutonis ora.

Nec satis. Verum Ausoniae beatas
Et videre urbes celebresq; sedit
Cominusq; audire viros & horum
Dicere mores.

Ergo nunc plenum geris eruditia
Pectus à Doctrina, & inempta morum
Suavitas te exornat, & os disertum
Mactat honore.

Vive, porro & cresce: favent utriq;
Gratiæ, Musæ, Themis & potentes:
Quid petat majus superos quis? ambo
Vivite lati.

Balthasar Caminæus
J. u. D.

Honoribus Doctoralibus
Clarissimi Consultissimq; Viri Dn.
BALTHASARIS HILLERI, J. U. LI,
centiati, & Fisci Regij in Judicio supremo Lusatiae
Superioris Advocati spectatissimi, Fautoris
& amici sui honorandi.

Baltasar Hilarius Themidos dum ferta capessit
Aurea, lætatur Pallas, & alma Themis.
Hoc decus ante annos complures candida virtus
Promeruit, Nissæ cognita saepe foro.
Nam caussas orare potest feliciter omnes,
Eloquentio, calamo, consilioq; simul.
Scilicet hinc Cæsar tibi Fisci credidit acta
Baltasar, insigni perficienda fide.
Ingenium laudat Lusatidos ora, serenus
Et tibi Regali fulget ab arce favor.
Perge ita: majores sic accumulabis honores,
Et majus Themidos nomen ab arte feres.
Quando juvant Deus, & Themis, & Clementia Regis
Magnus ab exili progrediere loco.
Invidus ore licet ringatur Zoilus, olim
Teq; tuosq; ingens nobilitabit bonos.

Otho Melander JC.S. Cæsar. & Regiæ
Majestatis Consiliarius E. Pragæ

autooxediæ ipsiſ Kalendis Aprilis.

Quem modò Nissanâ Libitinâ fugabat ab urbe
Incestans crebris funera funeribus.
Ecce novis titulis mactatum, & honore tiaræ
Purpureæ, reducem sistit amica Themis.
O gratum fatum, lata ò dilatio lethi,
Quæ tibi divino venit ab auxilio,
Gratulor hunc redditum, grandem quoque grator
honorem,
Et voveo augmentum sumat ut usq; novum.

*Abramus Caulius Phil. & I.V.D. Illustr:
Ordin. Super. Lusat. Syndicus honoris &
amoris ergo Budiss. deproperabat.*

Docta vetustatis quondam Prudentia honorem
Virtuti attiguam finxit habere domum:
Vnica erat, geminam quâ transiretur ad ædem
Janua, Virtutis consolidata laye.
Ve nitidi celsam scansurus Honoris ad arcem
Virtutis coleret templa sacrata prius.
Hyllere, hoc, tibi, rimanti præposta non est
Ad duplicem studijs semita trita viam.
Virtutis primùm cursus tibi victus ad ædem
Cursus per Themidos continuatus agros.
Hinc quid sint Leges, quid jus cōprendat utrūq;
Noticies cerebro tessitat alma tuo.

Ab-

Abdita divini calles ænigmata juris,
Quas fovet in gremio Bartholus ipse suo.
Scis mores fieri quid non patiatur inertes,
Est studijs morum consona norma tuis.
Ergò quis invidiat Virtutis calle peracto,
Si novus in templis incola Honoris eris.
Gratemur potius juris præeunte Decano
Has voces: *Hillere* induit *Doctor* ave.
Perge, ut cœpisti, spartam, quam nactus es, orna,
Præclarum & juris nomen ab arte feres.

*Honoris gratia
deproperab.*

M. Nicolaus Specbt.

Rumor erat, te alio pestis pepulisse periculum,
Baltasar Eunomia jaspis, ocelli, jubar
Gerræ; causa abitum peperit prægnantior istum
Tempus erat tandem digna brabea dari.
Illi x alma Themis discessus, relligio esset
Quo trahit & retrahit non benè velle sequi.
Eunomiam Ingenium Virtus, Labor, entheus ardor
Movit, miracli talia & instar habet.
Gnarus es arcanos Legum nodosq; retortos
Diluere, & studijs excolere alta tuis

Pref

Pressorum alma quies, clypeus miserumq; bacillus dA
Non sine laude cluis maxima laude geris. 1619
Hec Astraea videns, flagrans tibi pollice fertum 1622
Ex lauru & vario nectere odore jubet.
Nec mora: jam ampla refers studiorum præmia; dignus
His etenim, felix utere major eris. 1619
Fulgida sicut tandem surges ceu flammula in auras
Surges ceu æstipis æsculus alta comis
Plurimus argento rius fluet & fluet auro
Et feret æternis te tua fama tubis.

Fridericus Cademan Reipub. Budiss.
Advoc. Ordinar. de properabat
autochœdias amicitia & benevolentia ergo
gratabundus.



Ab 8000 AK

1617

52
 ILLUSTRISSIMUS ET
 PRINCEPS AC DO
GEORGIVS W
MARCHIO BRANDI
 BORUSSIAE, JULIAE, CLIVIAE
 Pomeranorum, Cassubiorum, V
 Carnoviae in Silesia Dux: Burge
 Princeps Rugiae, Comes Mar
 Dominus in Rave
RECTOR MAGNIFI
 ACADEMIÆ FRANC
 solemnia Doc
Quibus vir Clariſſ. Consuli
D.N. MATTHÆUS
 & Professor P. Consiliar. Ele
 amplissimæ Facultatis
 spectatissimæ
Viris Doctissimis & p
 D.N.N.
BALTHASARI HYL
 Cæſ.æ (Sacratissæ. mem.) F
 rum Fiscalium in superiori
 Et
ADAMO BOLFRAS FR
 Marchico, Comitum N
 Consilia
Summum in Utroqne Jure gra
 A. M. DC
Typis IOANNIS
 BIBLIOT
 PONICK

